Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



tui, cum spiritu sancto uniuersa condidisti, et hominem postremam creaturam inter alias creaturas alijs creaturis praposuisti, cui sermonem contuliſti, ut tuam laudem proferret: emunda os et linguam huius famulæ tuæ. N. ut liberè laudem tuam proferre possit, absq; Sathanæ impedimento, per eum qui uenturus est. etc.

## Ad collum.

Deus pater omnipotens, conditor coeli et terræ, qui caput corpori mediante collo iunxisti, ut mysticam per hoc designares unionem, nam tu caput ecclesiæ, corpori ecclesiæ mystico per uerbum adunasti, concede propitius, ut hæc famula tua. N. tibi uniatur, et ammodo omnis obsidio malignorum spirituum a' collo et corpore eius per tuam clementiam remoueatur quæ per tuam dispositionem tibi deputata est in baptismate, et non spiritibus apostatis, qui dixisti per filium tuum dominum nostrum Iesum Christum: nemo potest duobus dominis seruire: fac ergo, quæ tibi deputata est, ut ab alieno non uioletur domino, sed ipso maligno spiritu depulso, te solum corpore et corde habeat dominum sempiternum: per dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum uenturus est iudicare. etc.

## Ad pectus.

Domine Iesu Christe, qui es unum cum patre et spiritu sancto, qui ad memoriam passionis tuæ pectus Christiani